



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

13. Dies Maii. Tam brevis est Gulæ voluptas, ut spatio loci, vix sit quatuor
digitorum; spatio temporis, vix sit totidem momentorum. S: Innocentius de
cont. mund.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

13. DIES M A II.

Tam brevis est Gulæ voluptas , ut spatio loci , vix sit quatuor digitorum ; spatio temporis , vix sit totidem momentorum . S: Innocentius de cont. mund.

Gula. I.

O Angusta voluptas , quæ contrahitur ad tam arctos limites loci , & temporis ! Et tamen quid non agunt mortales ut saginent corpus , ut lenocinentur crapulæ , ut farciant ventrem ? Quidquid avium volitat , quidquid piscium natat , quidquid ferarum discurrit , nostris sepe litur ventribus . Ita ut nihil aliud sit stomachus , quam mortuorum animalium tumulus . Videas integrâ jam oppida , integros pagos nostræ luxuriæ ministrae ; alii nil nisi retia , & laqueos , ut piscentur exoticos pisces ; alii pedicas , ut aucupentur peregrinas aves , præparant . Scrutantur alii terras , alii maria ; reptili bus hi incumbunt , conchylia , & ostrea eruentes : isti ut condimenta cibis milceamus , classibus oceani secantes ad Indos , & Moluccas , ad nationes vix vel nomine notas confugiunt , ut unius hominis genio indulgeatur . Sic raritate , & difficultate irritamur , & volumus habere , quod habere non est in expedito .

II. Et tamen quam exiguum est loci spatiu m , quo te maris , terræ , aëris prædæ concluduntur . Quantulum ex tot dapibus ultramarinis , quibus condiendi tot adlaborarunt manus , fesso voluptibus

Majus.

Tessera.

363

tibus ore convivæ delibant? Quantum ex fera tanto
capta conatu, tanto cocta apparatu, Dominus con-
dus, & nauicabundus gustat? Quantulū ex tot con-
chyliis tam longè advectis, tam studiosè conquisitis,
per stomachum insaturabilem labitur? Hæc est ho-
minum cæcitas incredibilis, quod non credant se
majorem habere famem, quam ventrem. Tam pau-
cis natura est contenta, ut illi abundè sufficiat aqua,
& polenta: paßim alimenta jacent, quæ rerum na-
tura omnibus locis disposuit. Nonne omnes viæ o-
leribus sunt refertæ? Annè herbas, & legumina pu-
tamus tantum germinare pecoribus, non homini-
bus? Fames non est ambitiosa, nec deliciarum stu-
diosa: contenta est desinere, & admodum nihil cu-
rat, quo desinat. Cùm venter taceat, palatum adhuc
loquitur: quid huic adferat, curiosè scruratur: nul-
lam tamen allatus delectationem, nisi adferat,
dum venter postulet. Magis enim juvat bibere sitien-
tem, acceptior est famenti esca, quidquid ex absti-
nentia contigit, avidius excipitur.

III. Condidit te Deus parem Angelis, & facis te
non impar em bestiis? qui omnino non potest infa-
miam suam tollere, saltē satagit illam minuere.
Pudeat nos adeò esse impudentes, ut casus nostri à
fœlici statu dedecus, per ciborum intemperantiam,
velimus quotidiè commemorare; quorum nulla
deberet esse vel memoria. Comede ut corpus resti-
cias, non ut conficias: sit tibi ad corporis usum, non
ad pondus. Nonne probrosum est laburrare & far-
cire ventrem, ut aselli sarcinam, cùm illa ipsa caro sit
extollenda olim suprà ipsos Cherubinos? Intrà cor-
pus tuum est regnum Dei; est enim Spiritus sancti
sacra-

sacrarium; quomodo igitur tam es abjecti animi, ut perinde ac si pastui, & abdomini esses natus, de stomacho tuo facias manitcam, & mortuorum pecudum veluti tumbam? O animam cadariferam, in cuius corpore, veluti in mortuali urna sepeluntur tot altilium, piscium, & pecudum cadavera! Adam violato jejunio statim denuntiatus est reus mortis; cœpitque tunc esse mortalibus. Tu indies sis magis magisque mortalibus, dum saginatis mortibus, & avidè nutritis animalibus mortuis, quæ in te humantur. Unde ubi ventris est ingluvies, illic mentis est illuvies. Si multum bibis, non diu eris in vivis. Ut Pharaoh periit in rubro freto, sic multorum ratio in rubro vino. Quapropter insanit suprà modum, qui bibit ultrà modum. Unde qui cupid diu vivere, timet citò mori, Poëtæ monenti gerat morem.

*Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.
Sanior esse potes, sic cum moderamine potes.*

14. DIES MAII.

Ira voluntarius dœmon, optata insania, mentis est defectio. *S. Chrysost. ferm. de Mans.*

Ira. I.

Nihil erit expeditius quam tu ex irasci iracundiæ, si illius monstruosissima aspiceris linea-menta. Hic rabidus affectus, cum sit dœmon, non à Deo immissus, sed sponte assumptus, ut ille energumeni, sic & hic iracundiæ exagi-